

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. Quæ ejus forma?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

## 114 TRACTATUS III.

*c*i*. 24. dicitur. Quasi balatum non mixtum  
odor meus.*

Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio quam facit Episcopus cum Chrismate in modum Crucis super frontem Confirmandi, & impositio manuum.

*Quest. 2. Quænam est forma Sacramenti Confirmationis?*

Pontificale  
Rom.

*Resp. Forma hujus Sacramenti consistit in verbis quæ profert Episcopus, cùm applicat unctionem Chrismatis nempe, Signo te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.*

Advertendum tamen est, nos hīc loqui de materia & forma Confirmationis juxta communiter receptam Theologorum & Canonistarum sententiam; non tamen improbamus sententiam aliquorum Theologorum, qui assertunt, materiam & formam à nobis allatas esse tantum accidentales, non vero essentiales huic Sacramento, cuius materia & forma essentiales apud ipsos, sunt impositio manuum Episcopi & oratio quæ additur huic manuum impositioni.

*Quæ Doctrina videtur esse conformis Scripturæ sacræ & traditioni. Dicitur enim Act. 8. Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum-sanctum: tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum-sanctum.*

Tertullianus libro de Baptismo cap. 8. ait. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum-sanctum. S. Cyprianus Epist. 73. Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Prepositis Ecclesia offerantur & per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum-sanctum consequantur. S. Hieron. Dial. ad-

*De Sacramento Confirm. Cap. II. 115*

versus Lucifer. S. Chrysoft. in cap. 8 Act. & in cap. 6. ad Hebr. S August. 15. lib. de Trinitate cap. 26. *Apostoli orabant, ut veniret Spiritus-sanctus in eos quibus manum imponebant, quem moveat in suis Præpositis etiam nunc Ecclesia servat.* Idem habet in expositione Epist. ad Rom. lib. 3. de Baptismo cap. 16. Et Tract. 6. in Joann.

Concilium Moguntinum anno 1549. cap. 17. Ea verò, inquit, ut erant à Christo promissa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per manus impositionem in alios transfundi coepit, actus ipsorum satis testantur; undè Ecclesia Catholica Spiritum-sanctum per manus Episcoporum Fidelibus tradendi normam accepit.

Concilium Narbonense anno 1609. *Sanctorum Constitutionibus*, inquit, *constat nos in Baptismo regenerari ad vitam, & post Baptismum in hoc sacramento (Confirmationis) quo per impositionem manuum Episcopi Spiritus sanctus diffunditur in corda Fidelium, robur atque fortitudinem dari.*

*Quæst.* 3. *Benedictio Chrismatis facta ab Episcopo, est-ne necessaria ad validitatem Sacramenti Confirmationis? an requiritur tantum ad solemnitatem, uti est benedictio aquæ in Sacramento Baptismi?*

*Resp.* Benedictio Chrismatis ab Episcopo est necessaria ad validitatem hujus Sacramenti, quod quidem probatur auctoritate Innocentii III. relati in Canone: *Presbyteris, inquit, Can. Presbyteris, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod teris. De Con-* ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen fecr. dist. 44 frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt spiritum Paracletum.

Cujus rationem affert Divus Thomas, cùm